MISSALE ROMANUM
Diözese Brixen (möglicherweise in einem Dominikanerkloster), Wende 12./13. Jh. Seite 222r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



semitas eius. neq; susceperunt eam filij eorum. A facie illorum
longe facta est. Non est audita in chanaan. neq; uisa
est in theman. filij quoque agar qui exquisierunt prudentiam
que de terra est. negociatores terre. & themanij. & fabellato
res & exquisitores prudencie. & intelligencie. nescierunt.
neq; meminerunt semitarum eius. O israel quam magna domus
dei. & ingens locus possessionis eius. Magnus. & non
habens consummacionem. excelsus. & immensus. Ibi fuerunt
gigantes nominati. illi qui ab inicio fuerunt statura
magna scientes bellum. Non hos elegit dominus. neq; uiam
discipline inuenerunt. propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt
sapienciam interierunt propter suam insipienciam. Quis ascen
dit in celos & accepit eam. & deduxit de nubibus. Quis
transfretauit mare. & inuenit eam. & attulit eam super au
rum electum. Non est qui sciat uiam eius. neq; qui excogi
tet semitas eius. sed qui scit uniuersa nouit illam. & inue
nit eam prudencia sua. Qui perfecit terram in sempiterno tem
pore. & adimpleuit eam pecudibus uocauit eam. & obau
diuit eum cum tremore. Stelle autem dederunt lumen in custo
diis suis & letate sunt. Vocate sunt. & dixerunt assumus.
& luxerunt ei cum iocunditate. qui fecit illas. Hic deus noster
& non estimabitur alius ad illum. Hic adinuenit omnem uiam
discipline. & dedit illam iacob. puero suo. & israel dilecto
suo. Post hec super terram uisus est & cum hominibus conuersatus est.

Facta est super me manus domini. & eduxit me t. vii.
in spiritu domini. & dimisit me in medio campi qui erat
plenus ossibus & circumduxit me per ea in gyrum. Erant autem
multa ualde super faciem campi. sicca quoque uehementer. Et